31

DE

ELECTIONE PVRGANTIVM SECVNDVM STATVM ET INDOLEM MORBI

IN

ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE DECRETO

QVO

SVMMOS IN MEDICINA HONORES,

LEGITIME CAPESSAT

AD DIEM X. SEPTEMBRIS ANNI MDCCXXXVII.

DISPVTABIT PVBLICE

AVGVST. JVLIANVS GOTTHELF HERLITZ

GOTTINGENSIS.

GOTTINGAE

LITERIS IO. FRID. HAGERI.

VIRO

ILLVSTRI EXPERIENTISSIMO
ATQVE DOCTISSIMO

PAVLO GOTTLIEB WERLHOFIO

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI
MAGNAE BRITANNIAE
REGIS
AVLAE MEDICO INCLVTO

PATRONO SVO

DISSERTATIONEM HANC OB MAXIMA IN SE MERITI
GRATA MENTE DEDICAT

AVGVSTVS JVLIANVS GOTTHELF HERLITZ.

VIRO

ILLVSTRI EXPERIENTISSIMO

ATQVE DOCTISSIMO

PAVLO GOTTLIEB

WERLHOFIO

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI

MAGNAE BRITANNIAE

REGIS

AVLAE MEDICO INCLVTO

PATRONO SVO

DISSERTATIONEM HANC OB MAXIMA IN SE MERITA

GRATA MENTE DEDICAT

AVGVSTVS IVLIANVS GOTTHELF HERLITZ.

§. 1.

PVrgare & laxare in ſcholis medicis dicitur, quando, exhibito medicamento, crebrior alui ſolutio ſequitur.

§. 2.

Nulla medicina copioſior propinatur, nec in vllo pharmacorum genere magis peccatur. Vnde de purgantium recto & adaequato vſu quaedam dicere decreui.

§. 3.

Tria ſunt praecipue circa hoc remedium notanda:

1) morbus, ſiue cauſa morbi materialis, quae pro indole ſua hoc vel illud purgans requirit.

2) tempus legitimum, non enim idem eſt, quo die & tempore morbi vel detur, vel omittatur purgans,

3) medicamentum, quod purgandi fine datur.

§. 4.

Morbi conſideratio eſt, quando eius cauſa materialis nos docet vim eius & efficaciam praecipue hoc vel illo purgante eſſe infringendam, vel imminuendam. Tempus legiti-

mum eſt illud, quando id tempus morbi eligitur, quo iam certi ſumus, cauſam morbi ita eſſe praeparatam & coctam, vt ſalutari euentu per purgans expelli poſſit. Medicamenti conſideratio eſt, quando ex numeroſo catharticorum apparatu id adhibetur, vel ex iis combinatur, quod ſecundum ſubiecti, morbi, & temporis conditionem, purgationem tutam certam & ſufficientem praeſtare poteſt,

§. 5.

Regulae quaedam generales adhuc ſunt praemittendae, quarum eſt:

1) Calidioribus & ſiccis danda ſunt humida ſubiectis; ne iis ſerum nimis detrahatur, nec crebra & copioſa purgatio iis proficua.

2) Humidis danda ſunt ſicca, iſtaque crebriorem eductionem ferunt.

3) Omne purgans ita eſſe debet comparatum, vt vis ſoluens menſtruorum ius agendi in id habeat.

4) Nunquam vigente motu, tumultu, dolore, catharſi eſt agendum, niſi tunc ſpecialiſſime indicetur.

§. 6.

Ad purgantia referuntur gummi guttae, ammoniacum ſagapenum; ſcammonium, aloe, helleborus, gialappa, bryonia, hermodactyli, agaricus, polypodium, euphorbium, mezereum, ſpina ceruina, eſula, aſarum, grana tilli, coccognidium, linum catharticum, carthamus, manna, caſſia, tamarindi, ſenna, paſſulae, pruna, fontes quidam medicati, ſalia nonnulla media, tartarea, oleum amygdalarum dulcium, &c.

§. 7.

Haec omnia purgantium nomen habent; valde vero inter ſe

ter ſe differunt; vti ſapor, odor, experientia, & experimenta chymica docent; imo quaedam ex iis nunquam in vſum vocanda, quaedam rarius & non niſi certis conditionibus. Prudentis itaque erit medici, ſelectum inter ea habere, vt ex tam multis tamque diuerſis corporibus id eligat, cuius virtute ſcopo ſuo ſatisfacere poſſit, & ſub cuius applicatione ſpei reſpondeat euentus.

§. 8.

Primo loco de eorum vſu in febribus dicam, quae in acutas, lentas, hecticas, intermittentes, continuas, continentes, inflammatorias, exanthematicas, diuiduntur.

Illae febres, quae oriuntur ex ſola ſanguinis accenſione, i. e. ex vniuerſali ſpaſtica fibrarum neruearum agitatione, & actione partium ſalinarum in ſulphureas, nimiaque earum exaltatione, hinc motu ſanguinis tam progreſſiuo quam inteſtino aucto, nullum durante morbo purganti, licet mitiſſimo, dant locum, quia in periculoſo hoc ſtatu & benigniſſimum laxans actione ſua vel febrim augeret, vel typum & periodum morbi inuerteret, ſicque criſin impediret, vel, humores efferatos deriuando & alliciendo ad inteſtina, eorum inflammationem efficeret. Hoc tamen licebit, ſub diuturniori alui obſtructione clyſterem aquoſum, dilutum, temperantem, emollientem, & paucum, iniicere, qui ad ipſam febrim mitigandam conferre poteſt.

Peracta autem deſpumationis periodo, febreque ſilente, conuenit pharmacum aluum ducens porrigere, hisce tamen conditionibus:

1) ne ſerum conſumat, quod ſub morbo iam nimis eſt conſumtum.

2) ne nimiam irritationem efficiat, qua facile febris, cuius idea corpori adhuc inhaeret, renouari poſſit.

3) Vt

3) Vt a menſtruo depauperato & ſub morbo inerti facto, ſolvi poſſit.

4) ne vires primae culinae labefactatas vlterius abigat.

Abſint hinc reſinoſa pure talia, colocynthiaca, nimia aloëtica, ſale acri imbuta; vt eſula, euphorbium &c. ſed in vſum vocanda mannata, tartarea, ſennata, rhabarbarum, paſſulae, tamarindi, amara &c. quae ſub varia forma & combinatione danda. Haec omnia valent in ephemera & ſynocha febri &c.

§. 9.

Ea febris acuta, quae ex vera partis cuiusdam inflammatione, vt meningum, cerebri, faucium, pulmonum, pleurae, mediaſtini, pericardii, diaphragmatis, ventriculi, hepatis, inteſtinorum, pancreatis, meſenterii, lienis, renum, vteri, oritur, nullum habet ex purgante auxilium, ſed potius inde exaſperatur; quia

1) hoc tempore motus humorum placandi, & oſcillatio ſolidorum aucta lenienda, non vero haec acuenda ſunt.

2) Quia ſerum ad diluitionem humoris ſtagnantis, emollitionem canalium obſtructorum, hinc ad expeditionem inflammationis eſt tam neceſſarium.

Eo magis vero timenda eſt purgatio, quo magis pars affecta neruoſae & membranoſae eſt texturae. Hinc in phrenitide, paraphrenitide, anginoſa febri, hydrophobia, pleuritide, peripneumonia, lypiria, hepatitide vera, nephritide, nullus purgantibus concedendus eſt locus. Sub ſiccitate vero alui nimia, & crispatura, magno cum fructu admittendus eſt clyſter, qui optimus eſt ſola aqua, vel ſerum lactis, vncias tres non excedens.

§. 10

§. 10.

Alia res eſt, quando febres meſentericae, bilioſæ, continuae, ex apparatu humorum crudorum impurorum in primis viis, inflammatione ſpuria leuiori, originem habentes, adſunt.

In his enim periculoſum eſſet, per omnem febris decurſum purgatione abſtinere, quia hoc modo omnis materia corrupta, vel inteſtina nimis longe & ſimili ſemper copia irritare, hinc febrim augere, poteſt; vel ſi omnis ad ſanguinem fertur, hunc magis impurum febrilemque reddet, coctionem, criſin, deſpumationem ob copiam & cruditatem impediet, vel imperfectam dabit, vel etiam metaſtaſi nouum morbum, nouum ſymptoma, hinc nouum periculum, excitabit. Tempus vero in his exhibendi remedium per aluum euacuans diuerſum eſt. Vrgentibus ſymptomatibus ac cruditatibus optimo ſucceſſu primo vel ſecundo die exhiberi poteſt. Sunt qui hoc in caſu laudibus extollunt emetica, nec ego contradico, ſi mitiora nec mineralis proſapiae ſunt; magna tamen cautione opus eſſe, facile quisque credet, quia ſub hac diſpoſitione inflammatoria nulla fortior corporis & viſcerum commotio tuta eſſe poteſt, & ſi ſuſpicio inflammationis iam factae, licet leuioris, ſubeſt, minime concedenda. Hoc vero extra dubium eſt, blanda alui ſolutione & mitiori plus effici, quia maſſa humorum, in qua multum nondum cocti haeret, non ita impellitur & ad loca minus idonea portatur.

Coetera id adhibendi tempora indicantur, indole & genio febris, aetate, vitae genere, ſedimento in vrina (*), torminibus abdominis, viribus, criſi, aliisque, praeſentis in inteſtinorum canali materiei euacuendae, ſignis. Sic ſaepius quarto, octauo, decimo quinto morbi die aluina euacuatio rurſus inſtituenda, niſi recidiuae in periculum incidere veli-

 mus

mus. Neque tacendum, quod ſub hisce febribus neglecta evacuatione aluina, metus lentae vel hecticae febris inſtet.

Vbi vero eiusmodi pars inflammata eſt, quae ob ſummam ſenſibilitatem mitiſſimo quoque tumultu laeditur, licet inflammatio ſpuria adſit, prorſus ab eorum vſu abſtinendum, id quod in lypiria febri valet. Qualia vero eſſe debeant evacuantia, facile diiudicandum; dum ſub humorum exaeſtuatione & effervefcentia, & continua ſpaſtica ſolidorum commotione, nihil certe noſtrum corpus intrare debet, quod ſolida impellere, fluida vero acriora reddere, poteſt, vti faciunt aloetica, reſinoſa, gummi reſinoſa, & quae ſale cauſtico acri praedita ſunt, vt colocynthis, eſula, helleborus &c, optime vero ſe gerunt mannata, paſſulae, tamarindi, tartarea, media doſi, multo vehiculo, vel cum aqua vel ſero lactis cocta & propinata, quae educendi, temperandi, emolliendique vim poſſident.

*) vid. SYDENHAM *de febribus.* HIPP. *de victu acut.* dicit: Hoc ſiquidem ab initio medicamentis purgare volueris, id ante quintum diem faciendum, ſi venter murmurauerit.

§. 11.

Quae ſub nomine exanthematicarum veniunt febres, vt variola, emorbilli, purpura, febris veſicularis, petechialis, &c. ſi vere eiusmodi ſunt, quod nomen, indicat, nullum admittunt purgans, quia facto in inteſtinis tumultu, a ſuperficie corporis, ibi deponendam, vel iam depoſitam, deſtructam corroſiuam venenatam materiam ad internam compagem reuocamus. Quod probatur partim lege generali circulationis, partim conſenſu inteſtinorum cum cute, eorumque mutua affectione. In varioloſa febri obſeruatur, diſtinctas nihil peius ferre, alui ad egerendum ſtimulo, eumque

retro-

retroceſſionem variolarum ſtatim inſequi. Confluentibus vero accedens diarhoea ſub ſtatu & ſuppuratione raro periculoſa eſt, ſed ad ſolutionem morbi confert, hinc deficienti ea curatio ita dirigenda, vt ſub eo tempore, quo neceſſaria eſt, appareat aluus fuſa, vel clyſtere aperienda. Nonnulli laudant vſum mannae (*) & ad experientiam prouocant. Omnium autem horum morborum periodo peracta, perquam neceſſarium eſt purgante amaro balſamico, rhabarbarino, ſennato, quae a criſi remanſerunt, per aluum expellere, fibrasque a morbo languentes, amico & blando ſtimulo iterum excitare. De purpura id monendum habeo, ante triceſimam a morbo diem non facile purgandum, quia quotidiana docet obſeruatio, hoc exanthematum genus facile disparere, iterum prorumpere, desquamari, poſt desquamationem de nouo ſaepius apparere; ſic periculum turbandi morbi init, qui ſtatim purgante rem abſoluere vellet: an vero circa triceſimam diem liceat, cognoſcetur appetitu, ſomno, vigiliis, viribus, excretis, breuiter, euphoria.

*) vid. FREIND de hac re peculiare ſcript. HEISTER program. de vſu mann. in variolis confluent. infantum.

§. 12.

Febres malignae, epidemicae, peſtis ipſa, cum inſidioſae ſint perniciei, &pro quolibet epidemico ſtatu differant, an purgantibus ſint tractandae, ſtatus epidemicus medicum docebit; nulla enim regula ab vno in alterum valet anno. Si quid euacuante praeſeruandi gratia per aluum eſt operandum, benigniſſimis id praeſtandum, quia viſcerum & corporis vires tunc temporis ſanctiſſime ſunt conſeruandae, quibus ad tempus tantum deiectis miasmati maligno liberior via ſternitur.

§. 13

Febris intermittens quotidiana, nimiam humorum lentorem,

torem, menſtruorum inertiam, mucoſitatem, fibramque de tenore ſuo aliquantum deiectam pro cauſa agnoſcit; hinc purgantia in his erunt amara, reſoluentia, balſamica, ſalia ammonaicalia, ſalia amaricantia, rhabarbarina & ſennata &c.

Manna vero, tamarindi, tartarea, acida, minus ſunt proficua; multo minus fortiora draſtica reſinoſa ſunt admittenda; tempus legitimum eſt duplex, vel ratione totius morbi, vel ratione paroxysmi. Valet in omnibus febribus, quod nulla commotio in corpore excitanda ſub paroxysmo, vel eo mox ingruente

Cum ergo huius febris acceſſio antemeridianis horis fiat, & ad horas veſpertinas duret; duabus horis poſt mediam noctem purgans ingerendum, quo minus eius operatio cum paroxysmo coincidat. Quo die autem propinandum, quaeſtio eſt, ſeptimum paroxysmum aliquid critici habere obſeruatur, ideoque poſt hunc octauo die recte datur. Coeterum alternis diebus antecedentibus, peracto paroxysmo, horis vespertinis, ſal amarum laxans media doſi exhibere, vtiliſſima res eſt,

§. 14.

Diuerſa a quotidiana febri eſt tertiana. Haec enim biliosae magis eſt indolis, humores magis efferatos calidos, fibrasque magis ſpaſtice affectas habet; quae ergo in hac applicanda ſunt, temperatioris eſſe debent texturae. Laudanda igitur ſunt, tamarindi, paſſulae, caſſia, rhabarbarum, ſenna, manna, tartarea, cum aqua vel ſero lactis, ſumta, vel alia forma ornata. Mere ſalina ſufficienti doſi data, ſaepius exaſperationem morbi effeciſſe, praeſertim in ſenſibilioribus ſubiectis, obſeruatum eſt, quibus vero febrilis latex non modo eiici, ſed etiam ſimul corrigi poteſt, tutiſſima ſunt. Legitimum tempus alui ducendae erit poſt quintum paroxysmum,

xyſmum, qui in tertiana legitima criſeos vices abſoluit, vnde poſt eum ſine noxa adſumi poſſunt. Interdum ſub initio morbi cruditas nimia primarum viarum vehementiora excitat ſymptomata: vrgente hac neceſſitate, conſultum eſt, lene vomitorium propinare, quod non multos vomitus excitat, ſed tantum turgeſcentem & abundantem materiam imminuit; cum alias contra rationem eſſet, ante quartum paroxyſmum huiusmodi pharmacum adhibere.

Adiungo & hoc, in ea tertiana, quae, ſub grauiori paroxyſmo, ſomnolentiam, ſymptomata apoplectica & tendinum ſubſultus, oſtendit, tempus non conſumendum eſſe euacuatione, ſed protinus diuino ſuo antidoto eam profligandam.

Poſt tertianam, imo omnes febres intermittentes, curatas, ſaepius purgatio requiritur, quia vero per eam facile febris reuocatur, melius omittitur, ſi vero indicatur, prudentiſſima eſſe debet & leniſſima.

§. 15.

Febris quartanae curatio non leue adiumentum ex recta alui ductione habet; raro quidem ſine corticis peruuiani vſu tollitur, interim recta purgantis applicatio non negligenda, quia ſatis frequens eſt obſeruatio, rebellem hunc morbum vnico purgante vel enemate penitus diſparuiſſe. Inuadit hic morbus facilius ſubiecta ſicca, cholerica, melancholica, quo, & aliis obſeruatis huic morbo propriis, docemur, cruditatem & cauſam bilioſae, fixioris tamen, indolis, quam in tertiana, eſſe, tenacioris, motus ſecretorios & excretorios, magis laeſos turbatosque eſſe. Ad remotionem cauſae morbificae nihil aptius eſt purgante temperante, vt rhabarbarum, ſenna, manna, tamarindi, paſſulae, cum hepaticis, itemque maſſulae iſtae pillulares ex amaris purgantibus & corrigentibus confectae, non nimia

doſi datae; facillima enim ſaepius eſt in hoc morbo alui ductio. Conuenit etiam decoctio purgans, quam BAGLIVVS de bilis natura & vſu, deſcribit. Cum enim bilis viſcida, acris, tenax peccet, ea proſunt laxantia, quae poteſtatem agendi in eam habent. Hisce laxantibus quarto ſtatim die agendum eſt, poſt ſeptimum vero paroxysmum ad pleniorem alui ductionem condeſcendendum, vel emeticum tunc temporis praemitti poteſt, quod tormina, quae laxationi ſequenti ſuperueniunt, optime arcet: quod autem poſt ſeptimum paroxysmum datur laxans, commode per duos vel tres dies continuatur, ſignum bonae operationis eſt, ſi bilis cretacea & cohaerens cum euphoria excernitur.

§. 16.

Lentae & hecticae febres ratione cauſae valde inter ſe differunt. Quae ex pure intus latente, abſceſſu interno, eroſione partis cuiusdam nobilioris, vel ſcirrho interno oriuntur, vel vbi cauſa eſt; aetas nimia, moeror nimis diu protractus, acrimonia nimia, defectus ſuccorum roſcidorum, in his nunquam eſt purgandum. Vbi vero cauſa eſt in primis viis, ex chylo coagulato, cruditate accumulata, vbi vermes in cauſa ſunt, vel vbi ſpes eſt educendi puris per purgans, ſine purgantium adiumento vix curantur; balſamica rhabarbarina in hisce caſibus caeteris palmam praeripiunt; ſi vero, ex quacunque ſit cauſa, corpus morbo nimis iam eſt extenuatum, abſtinendum eſt ab alui ductione.

§. 17.

Ad icterum nunc accedo, qui morbus vario modo exiſtit, hoc loco tantum de diſtinctione eius in calidum & frigidum verba faciam. Calidus ex calore coniuncto, aluo crebriori & biliosa, ſiti, ſoda, conditione ſubiecti &c. cognoſcitur, vnde etiam apparet, bilem in toto & primis viis abundare & peccare. Antequam in curando eo ad purgans venitur

nitur, corpus totum, praeſertim vero hepar ſpasmo affectum, ab eo liberandum, contra acrimoniam & calorem agendum: quibus factis temperato euacuante ſordes bilioſae eiiciendae, prae primis huic fini inſeruire poſſunt tamarindi, paſſulae, caſſia, manna, tartarea cum ſero lactis.

Frigidus, qui dicitur icterus, cum ex defecti lymphae ſubtilioris, inertia bilis & ſpiſſitudine, & obſtructione viarum & ductuum in hepate ortum ducat, vti ex colore cutis, conditione ſubiecti, alui ſegnitie, faecum albedine, ſenſu in dextro hypochondrio preſſorio, apparet; hinc, quae laudanda, ſunt laxantia componenda ex gummatibus, balſamicis, aloeticis, praeprimis decoctum laxans BAGLIVI, antequam autem inſtituitur purgatio, prius digeſtiuis hepaticis & reſolventibus eſt agendum, minimumque per ſex dies continuandum, vt ſub purgationis actu ad receſſum apta ſit materies. Nec vna purgatio ſufficiet, ſed quarto vel ſexto die ea repetenda. Mercurium dulcem qui laudant, in hoc morbo acidam primae culinae indolem & eius ſiccitatem non reſpiciunt, per quam & facile corrumpitur & in actione impeditur; itemque reſinoſa minus vtilia, imo noxia deprehenduntur; a nonnullis emetica purgantibus praeferuntur, & saepius maximi ſunt vſus. Qui vero omnium purgantium vtilitatem in hoc morbo negant, experientiae contradicunt, & minus recte ex HIPPOCRATE probant, qui *de loc. in hom.* dicit: *Medicamenta bilem educentia ne propinato, ne corpus magis conturbent.* Quae haec verba antecedunt, ſatis declarant, ſermonem eſſe de ea auriginis ſpecie, quae febribus accedit, quae ex inflammatione hepatis gignitur, nec non quae ſub icteri calidi nomine ſignificatur. Haec quidem partim nullum medicamentum purgans admittunt, partim ea tantum, quorum vſus tempore Hippocratis nondum innotuit, vbi hoc titulo helleborus, &c. deſignantur.

Nec praetereundum eſt, qui ex ira factus eſt morbum re-

 gium,

gium, nulla aluina euacuatione ante octauum diem adeundum eſſe, & ſedato iam partibus neruoſis & membranoſis impreſſo ſpaſtico motu; multo minus eductio emiſi tunc eſt tentanda.

§. 18.

In dyſenteria morbo & frequenti & vehementi ſola curatio in euacuatione & mitigatione conſiſtit. Cum enim fundamentum morbi ſit, violenta inteſtinorum praeſertim tenuium ſpaſtica commotio, & humor aeris biliosſus, hinc ſecundum haec euacuantia ſunt ſeligenda. Ipecacuanha & rhabarbarbarum unicum fere abſoluunt punctum, inprimis prior, breuiori via eliminando per os ſaburram acrem bilioſam, ne tranſitu ſuo per inteſtina modum morbi augeat: Ipſa enim actio purgationis, quia ſine commotione inteſtini iam affecti abſolui nequit, moleſta eſt. Laudatur etiam huius pharmaci virtus adſtringens & alexipharmaca poſt vomitum agens, & obſeruatur, peracto vomitu numerum excretionis aluinae & teneſmum minui & mitigari. Pro ſymptomatum & virium conditione ſecundo vel tertio die per illam vomitus renouari poteſt. Si qui vero omnem vomitionem aegre ferunt, vbi nulla plane eius indicatio eſt, vel & morbus non eſt nouus, ibi a rhabarbari virtute abſtergente & roborante multum eſt ſperandum. Coeterum abſint omnia purgantia flatulenta, acria ſtimulantia, rarefacientia, ſalina. Evacuatio per clyſterem magni aeſtimanda, & prudentiſſime vomitui vel purgationi adſociatur. Silentio vero minime eſt praetereundnm, hunc morbum raro ſine epidemica conſtitutione ferociam ſuam exercere, hinc pro eius conditione & euacuatio & curatio quotannis dirigenda. Quod & quisque practicorum magiſtra docebitur experientia.

*) vid. Ramaz. in conſtit. epid.

§. 19.

§. 19.

Coli dolor, qui ſub colicae nomine venit, practica optimaque diſtinctione in flatulentum, bilioſum & ſpasmodicum diuiditur. Quilibet horum obuenit vel cum vel ſine alui obſtructione, ſicque etiam commodum erit de iis dicere. Colica ergo ſi ſimplex eſt, nec cum alio morbo complicata, nec ſingulare vitium latens eam fouet, nec error diaetae in cauſa eſt, optime corrigitur & ratione aperiendae alui tractatur extracto laxatiuo, refracta doſi cum ſalibus nitroſis, amaris deterſiuis, mixto, & alternis diebus adſumto, quia huius mali fons in inertia quadam humoris menſtruoſi, bilioſi & motus periſtaltici praeprimis eſt quaerenda, qui fortioribus id tentant, aluum poſtea fortius claudunt. Eadem ratione rhabarbarum in ſubſtantia non conuenit, nec multam adferunt opem mannata &c. quia lentorem ſuccorum & viarum non corrigunt. Vbi ſola ſcybalorum durities, ſine inertia vel vitio praeter naturam, ex fortiori ſudatione, venere, in cauſa eſt, eorumque accumulatio; diluentibus & reſoluentibus per os & anum ſimul ingeſtis elaborandum, donec certi ſimus duritiem victam eſſe, tunc licebit purgante rem abſoluere. Laudem in hoc caſu merentur ſalia neutra, decocta laxatiua ex manna, agarico, ſenna, tartareo, ſale confecta, paratae quaedam in officinis maſſae pillulares, ut aloephanginae, de gummatibus Syluii, Conerdingii, tartareae Schroederi & Wedelii, contra obſtructiones ex additione limaturae ferri concinnatae. Qui vero acrioribus & ſtatim ſine praeparatione expellere impacta & quaſi agglutinata haec ſtercora volunt, ad rebelliorem obſtructionem, inflammationem, imo ad morbum ileum, praeſertim in plethoricis, disponunt.

Colica flatulenta, ſi vitio materiei flatulentae adeſt, & idiopatica, minime carere poteſt eductione aluina, ne malo conſilio peccantem in excretionis actu & turgeſcentem fo-

mitem retineamus; quia vero doloris & anxietatis in paroxysmo vehementia purgationem rarius permittet, clyſter huius loco iniiciendus carminans & educens, ablata vero morbi tyrannide non differendum, ſalinis, balſamicis, infuſis vinoſis purgantibus, non omiſſis tamen carminantibus, hoſtem expellere.

Colica bilioſa optime leuatur vomitorio benigno, adiuncto ſimul clyſtere temperante.

Poſt paroxysmum, quae remanent ſigna, te docebunt, adhuc per aluum educendum eſſe, ne redeundo morbo viam aperias; antequam vomitorium & laxans exhibentur, ſal aperiens laxans media doſi adſumendum, vehiculo temperante.

Spasmodica colica minime fert vel vomitum vel purgationem, niſi per oleoſa linctu & clyſtere adſumta, & quae ad hunc cruciatum diſpoſita ſunt ſubiecta, ab omni fere purgatione abſtineant.

Colica nephritica eiusdem conditionis eſt, interim ſingulari antidoto, oleo amygdalarum dulcium & manna, optime tractatur.

§. 20.

Hydropicus morbus etiam diuerſus obſeruatur. Cum in leucophlegmatia obueniat copia ſeri, eius ſtaſis in extremitate corporis; hinc quae hoc educunt & eius motum reſtituunt, vtilia erunt; faciunt & hoc purgantia. Electio vero eorum in hoc morbo ſecundum cachexiae ideam fieri debet, quia in hac viſcerum diſpoſitione radices morbi locatae ſunt; ergo aperitiuae virtutis & balſamicae & reſolventis, eiusque compoſitionis eſſe debent, vt a menſtruis aquoſis ſolui queant, & quia viſcernm tonus in hoc curando malo tam neceſſarius eſt, proſpiciendum, ne vehemen-

mentiori & torminoſa actionae fibrae harum partium adhuc magis debilitentur, hinc proficua ſunt, quae in ictero frigido enumerata ſunt, nec mercurius dulcis omittendus obſundendi virtutem proficuus.

Quia vero vna non ſufficit purgatio, quouis quarto die, quae interea temporis per adiunctam medicationem reſoluta ſunt, educenda ſunt. Si ad quartam vel quintam purgationem acceditur, fortius & reſinoſum in vſum vocari poteſt, non omiſſa tamen correctione, quae nimiam & doloroſam eius actionem, facillimamque parietibus adhaeſionem, infringit, ſed vt ſtimulo ſuo fibras emortuas reſuſcitare, eisque adhaerentes partes aquoſas exprimere poſſint. Et eo magis locum habebunt, ſi morbus in corpore quadrato, alias robuſto, labore firmato, groſſiori victu nutrito, ſtudiis curisque non debilitato, obuenit. Cauendum vero ab iis, vbi ſcirrhoſitas nimia, vel hecticus ſtatus, adſunt.

Longe alia ratione in euacuatione aluina tractandus eſt aſciticus morbus, qui ob ſitim intenſam, decrementum artuum, vrinam grauem, lixiuioſam, ob calorem, caeteraque ſymptomata, magis defectu ſeri blandi, quam eius abundantia, talis eſt, in hoc nullum euacuans per aluum locum habebit, niſi aliqualis laticis lymphatici facta ſit reſtitutio; ſi vero inſtituenda eſt eductio aluina ea ſunt adhibenda, quae ſimul temperant & leniſſime, ſatis tamen copioſe, educunt, vbi tamarindi rhabarbarum paſſulae, cum ſero lactis vel fonte Selterano, combinanda.

Sydenhamus ſolis purgantibus, & quidem fortioribus curationem hydropicorum perficere vult; ſed cum non omnis hyprops in copia ſeri ſit locatus, nec omnis hydrops ſolis euacuantibus curatur. A nonnullis laudantur in hypropicis morbis vomitoria, qui ab aliis valde vituperantur. Qui prius defendunt, morbum ſupponunt nondum con-

cla-

clamatum, viſcerum robur non in totum abiectum, inprimis ſi morbus ab errore commiſſo in diaeta, ſimul a ſcabie latente, ortus ſit; vbi concuſſorio & euacuatorio hoc actu ſtaſin tollere volunt, nec hoc ſemper infelici cum ſucceſſu. Qui vero vomitoria abhorrent, ſine dubio deperdidum ita viſcerum ſtatum in hoc morbo credunt, vt eorum compages violento hoc motu nimium laedatur.

§. 21.

Tympanitis a diuerſis obuenit cauſſis, & inter has in ſubiectis ſeroſis a cauſa ſeroſa, & in bilioſis & ſcorbuticis calidis ab aucta earum temperie. Multum conueniunt cum morbis hydropicis hae duae ſpecies, ergo euacuatio aluina iisdem fere legibus inſtituenda, niſi quia ſpecialiſſime canalis inteſtinorum affectus & flatibus diſtentus eſt, hic ſingularem reſpectum poſtulet, quo prudentius eius tonum conſeruemus, draſticis minus abiiciamus. Hinc carminantia & corrigentia eo minus in hisce euacuantibus ſunt negligenda, clyſteresque carminatiui & abſtergentes adiungendi.

§. 22.

Mali hyſterici & hypochondriaci ſpaſtica indoles purgante non curatur, quia vero huiusmodi ſubiecta facile cruditates & flatus gignunt, aluoque obſtructa laborant, vtique purgantia iis neceſſaria ſunt. Lenta & flatulenta non ferunt, & vomitu nonnunquam reiiciunt; rhabarbarum in ſubſtantia adſtringit nimis, per acria paroxysmo anſa datur, & tonus laeditur. Clyſtere vero & purgante amaro optime leuantur; itemque ſalino amaro, aquis carminatiuis ſoluto, quantum fieri poteſt, extra paroxysmi tempus dato. Si vero paroxysmus vrgens, corpus ſiccum, diaeta vinoſa, ſublata quaedam excretio, dolor in hypochondriis, reſpira-

ratio anheloſa, ſitis, aluus obſtructa, adſunt, oleoſa remedia per os ſumta, dato ſimul clyſtere emolliente, tantae ſunt vtilitatis, quantae nullum aliud.

§. 23.

Haemorrhoiides coecae dolentes interdum excluſione faecum duriorum excitantur.

Si vero iam adſunt, tranſitu ſuo maximas excitant moleſtias. Optime tollitur hoc incommodum ſalino leniente remedio, quia reſolutione muci, emollitione faecum ſanguis non ita cogitur ad venas ani, nec tabercula ſub exceſſu ſcybalorum duriorum amplius irritantur. Hinc de cauſa occaſionali & materiali multum aufertur. Qui vero ſub huius fluxus diſpoſitione acria draſtica ingerunt, imprudenter metum inflammationis vel conuulſionis admouent, vel talem viſcerum, labem contrahere poſſunt, quae hydropem vel tympanitidem minatur. Fluentes atque internae & promouentur & mitigantnr pillulis iſtis polychreſtis, diuerſis nominibus claris, quae abſtergente & reſoluente virtute, ſanguinem circa viſcera & venam portae accumulatum expediunt, ſicque quidem fluxum, promouent, cauſam vero eius, ideoque ipſum fluxum minuunt. Interim mannata, rhabarbarina, caſſia, tartarea, &c. in vtroque fluxu magno cum fructu applicari poſſunt.

§. 24.

Vomitus cruentus ob diſpoſitionem ſpaſticam, ſummamque neruoſarum partium ſenſibilitatem nullum purgans admittit. Cum vero ſanguis in cauum ventriculi & duodeni delatus expellendus ſit, laxante diluente carminatiuo, nec non clyſtere, qui etiam ſub paroxyſmo laudandus, id fieri poteſt.

Qui vero huic morbo eſt obnoxius, eiusque moleſtias ſubiuit, omni purgatione, praeſertim fortiori, abſtineat, ſi vero alius vitii gratia neceſſaria iudicatur, benigniſſima in vſum vocet.

§. 25.

Scorbuti diſtinctio in calidum & frigidum nota eſt.

Frigidus ponitur depreſſione partium balſamicarum in ſanguine, ſulphurearum corruptione, ſalibus acidis groſſioribus facile ſubſiſtentibus. *Calidus* ſcorbutus adſcribitur ſanguini acri bilioſo, lixiuioſo, ſicco febrili. Pro hac diuerſitate laxantia iis ſunt eligenda; applicari poſſunt, quae in ictero vtroque & morbis hydropicis laudata ſunt.

§. 26.

Oculorum crebrior inflammatio, praeſertim in iunioribus, tonſillarum & faucium, itemque glandularum colli & articulorum intumeſcentia repetens & hiemali tempore praeprimis infeſtans, in fundamento ſcabioſi ſunt affectus, vbi lympha ſubtilior gelatinoſa pura, viſcidis peregrinis & acribus partibus eſt inquinata.

Mercurius dulcis cum purgantibus permixtus miranda hic praeſtat; itemque ſalia cathartica non leue auxilium adferunt. Scabies ab hisce morbis non diuerſa eodem modo quidem tractanda. Sed cum vel ſicca, vel humida ſit, pro hac differentia etiam ratione purgantis eſt tractanda. Sicca afficit ſcorbutica calida ſubiecta, & ab hac ſcorbuti ſpecie non niſi gradu differt, quae ergo his vtilia fuere purgantia, & ſcabioſis ſiccis vtilia erunt. Temporis ratione obſeruandum, non ſtatim primo die, quando huiusmodi affectus ſe prodit, purgante eſſe corpus turbandum, ſed genio morbi per aliquot dies indulgendum, quia ſub huiusmodi incommodis latet ſaepe excretio quaedam critica & ſalutaris, quae minime ſtatim aluina excretione a cortice ad inteſtina dirigenda. Praecipue vbi ſcabies intra aliquot dies maxima copia apparet, non purgandum, niſi vis morbi aliquatenus remiſerit.

Gutta roſacea, caeterique faciei affectus puſtulares leniſſima

&

& ſaepius repetita purgatione corriguntur, vbi inprimis ſe commendant fontes medicati aluum ducentes, caeteraque, quae alvum lubricam reddunt.

*) Vid. BAGLIVVS de praxi med.

§. 27.

Liceat mihi obſeruationes quasdam particulares adferre, quarum prima eſt: Iuuenis XVII. annorum, habitus corporis ſiccioris, per VII. menſes quartana laborabat, variaque remedia, ſed in caſſum, contra eam adſumebat, a me cum petierit conſilium, ſtatim primo & ſecundo die ei exhibui ad ſegnitiem alui, quae vix quarto die reſpondebat, corrigendam, laxans ex manna tamar. ſenn. rhab. cremore tartari cum ſumm. malv. & chamon. quo per biduum hauſto, plus quam decies, per aluum mucoſam atque cretaceam materiam depoſuit; quo facto febrim non amplius expertus eſt, ſed jam per quinquennium perfecta gaudet valetudine. Citra meam opinionem febris fuit profligata, interim ex eo videndum, quantum valeat recta alui ductio in contumaci morbo. Vir 61. annorum, temperamenti ſanguinei, animi hilarioris, cum aliquando totam noctem bibendo conſumeret, in grauem alui obſtructionem incidebat, ad quam vndecimo morbi die vocatus, conclamatam rem videbam; nimirum horrenda aderat abdominis intumeſcentia & durities, ſitis vrgebat intenſa, anxietas maxima, nullus ſomnus. Clyſtere ex vnciis VI. aquae Selteranae & vncia dimidia ſalis Epſamenſis quauis hora ſexta applicato, huius ſalis cum eadem aqua per os drachmis duabus quarta quauis hora ſumtis, duodecimo morbi die ſcybalorum duriorum quaſi combuſtorum aliquid ſeceſſit. Pro potu ordinario aquam Selteranam conuenientiſſimam deprehendi, quam crebris ſed exiguis hauſtibus aegrotus potabat, maſticato ſimul ſemine quodam carminatiuo. Die decimo tertio iterum, itemque decimo quarto ſtercora dura apparebant, decimo quinto tumor abdominis remitttebat cum magno ſymptomatum leuamine, quod reliquum intumeſcentiae erat, repraeſentabat abdomen quaſi farciminibus repletum, quotidie etiam abdomen cum ſummitatibus chamomillae & maluae lacte coctis foue-

bam.

bam. Viis & duritie ſic praeparatis, decimo ſexto die exhibui laxans ex fol. ſennae, cryſtallis tartari, nitro tabulato, tamarindis manna, & ſemine foeniculi, quod miranda euacuatione feces maxima mole, & quaſi ad vlnarum longitudinem coherentes, propellebat, repetita purgatione & adiuncto roborantium vſu priſtinae valetudini redditus eſt.

Virgo robuſta grauem ſub menſtruatione paſſa eſt iram, ſenſit poſtea magnas circa praecordia anxietates; expoſcit ad hanc depellandam a balneatore quodam purgans, quod ei etiam datum eſt parca doſi, quoad numerum pillularum. Deglutito hoc innumeras per 4. dies habet ſedes, quae quidem vſu cuiusdam theriacae imminuuntur, manentibus tamen; quae ſubfuſione alui iam aderant, lipothymiis, delirio, ardore faucium, ſenſu prunae candentis in praecordiis, ſiti, pulſu duro & exiguo. Die 5to Medicus vocatus, temperantibus, demulcentibus gelatinoſis emulſiuis & contra inflammationem ſolennibus fruſtra pugnabat; ſic vt 10. a purgatione die vitam cum morte commutarit. Caſus hic ſatis docet, quam noxium ſit & quam peſtiferum, per iram facta generis neruoſi commotione ſtatim purgans ingurgitare, praecipue draſticum, quod parua doſi multum commouere poteſt, vbi potius antiſpaſticis temperantibus & diluentibus agendum, nec niſi ablata ſpaſtica, ſtrictura ad id veniendum, & probe diſtinguendum, quale applicandum.

§. 28.

Haec ſunt, quae de cauta & prudenti electione purgantis dicere voluerim. Fateor quidem rem meliori & ſagaciori diquiſitione, quam vires meae permiſerunt, eſſe dignam; non enim fuiſſet incongruum, diſſenſum & conſenſum practicorum, circa quoduis purgans in quouis malo, adduxiſſe. Cum autem hoc modo finis diſſertationis eſſet tranſeundus, ſatius duxi, meas circa hanc rem conſcribere cogitationes. Hoc vero bono cum Deo aſſerere poſſum, nil hiſce paginis ineſſe, quod non praxi, licet non copioſa, ipſe eſſem expertus. Beneuolus lector omnia in meliorem partem accipiat.

(o)